

finis Italiae sic prosequitur Imperator. Præterea vetamus ne boves hinnulos, aut asinos, seu cetera animalia dicti monasterii occasione expeditionis, vel alia quælibet sua auctoritate aliquis audeat invadere. Item nullus cogat fratres, vel homines dicti monasterii frumentum legumina, vel aliquod genus grani in civitatem castrum, vel villam reponere, sed libere eis liceat quocumque voluerit exportare: nullus etiam iudex minor, vel major fratres dicti monasterii cogat sacramentum calupniæ in causis 10 minimis, vel maximis subire. Si quis vero hanc nostræ præceptionis paginam violare præsumserit centum libras auri optimi componat medietatem cameræ nostræ, medietatem præfato monasterio persoluturus; quod ut verius credatur, & ab universis diligenter observetur, præsentem paginam manu propria roborantes sigillo nostro jussimus insigniri. Huius res testes sunt Ebhardus Salisburgensis Episcopus, Jacobus Taurinensis Episcopus, Opizzo Terdonensis Episcopus, Ludevicus Dux Bavarie, 20 Berhuyardus Dux Carinthie, Gullielmus marchio Montisferrati, Manfredus marchio de Saluciis, Gullielmus Malaspina, Gullielmus Dapifer, Conradus Pincerna, Henricus Camerarius, & alii quamplures. Signum D. Othonis IV. Romanorum Imperatoris invictissimi. Ego Cunradus Spirensis Episcopus Imperialis aulae cancellarius vice D. Theodrici Coloniensis Archiepiscopi, & totius Italiae Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dom. Incarn. &c. Regnante D. Othone quarto Romano- 30 rum Imperatore glorioso anno regni ejus XIII., Imperii vero I. Datum apud Terdonam XII. cal. julii (1).

(1) Otho jam Albæ, Vercellis hoc anno adfuisse tradiderat Muratorius in annal., nunc & Terdonæ morasum ex hoc diplomateprehendimus.

*Sententia Jacobi Episc. Taur. condemnans clericos de Fabinis ad obedientiam Ep. Alexan., & Aq.*

138

M C C X.

Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo decimo, indictione decima tertia die Jovis decima secunda intrantis mensis augusti. Dum D. Jacobus Dei gratia Taurinensis Episcopus . . . habeat in mandatis, ut sententiam latam a D. Aripando vicedomino Mediolanensis Ecclesie ordinario in concordia D. Guillelmi Mediolanensis Archiprebyteri, & D. cancellarii Imperialis . . . pro obedientia præstanda D. Alexandrino Aquis Episcopo a clericis de Fabinis, & D. Nicolaus vicedominus in præsentia ejusdem Episcopi cum instantia sententiam executioni mandari . . . Stella 50 Syndicus Astensis Ecclesie suas ostendit rationes, quibus asserebat sententiam illam . . . obtinet . . . mancipari. Unde visis, & auditis utriusque partis. . . & adlegationibus prædictus Dominus Episcopus Taurinensis pronunciavit . . . Aquis. tamquam suo Domino, & Episcopo præstare debere. Actum fuit hoc in civitate Taurini in palatio Do- 60 mini Episcopi . . . Interfuerunt testes rogati . . . Henricus Taurinensis Archidiaconus, Gullielmus Scriba . . . Episcopi, Magister Syrus, & Magister

Rodus Alexandrini cives, & hanc cartam prædictus D. Jacobus Taurinensis Episcopus, ut supra legi, & fieri præcepit.

Ego Petrus Notarius S. P. rogatus . . . & jussu dicti Domini . . . hanc cartam tradidi, & scripsi.

*Conventio de bannis Casæ novæ inter Dominos ejusdem, & Ecclesiam, ac monasterium Aquen.*

M C C X.

139

Anno Dominicæ Nativitatis MCCX. V. septembris. In Montebono de lite inter DD. de Montebono scilicet Ruffinum, & Wilielmum Crociam fratres, Sivoletum per se, & Ottonem de Gavex promittentem, quod ipse Otto ratum habebit infra scriptum negotium in pœna M. solidorum, Jacobum Curbeller, & Albertum fratrem ejus per se, & fratre suo Ottone promittentem in pœna M. solid. quod ipse Otto firmum tenebit subscriptum negotium, & Gullielmum Mastorcium ex una parte, & Anselmum præpositum S. Mariæ, & Bonum Johannem abbatem S. Petri Aquis nomine, ac vice prædictarum Ecclesiarum, & altera de bannis hominum de Casanova: compromiserunt stare arbitrio, & laudi Enrici Mastorcii, Gullielmi Dodonis, atque Magistri Enrici de Aquis in pœna M. solidorum, hinc inde stipulatione subnixâ, qui arbitri statuerunt, ut omnia banna, quæ homines de Casanova a termino de Colleta citra versus Montabonum per totum poderium de Montabono dimidia sit dominorum, dimidia sit præpositi, & abbatis, ita tamen quod bannum non excedat solid. LX. De homicidio vero esse majori ultra X. libras, medio ultra C. solid., minori ultra LX. Idem statuunt de banno fracto in castello, quemadmodum de homicidio nisi prædicta pœna augeretur voluntate abbatis, & præpositi. Hoc non statuunt de bannis liquido ruptis, & confractis. Si vero dubium verteretur, cognoscatur ante eos comuniter per judicem salvo omni honore, quem isti præpositus, & abbas habent in hominibus de Casanova. Ego Marro Not. S. Palatii &c.

*Fidelitas hominum de Monteclaro ex præcepto march. Delphini facta potestati Alexandriae.*

M C C X.

140

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo decimo, indictione decima tertia, die Dominico tertio mensis octobris, in castello Montisclari. Homines de loco Montisclari fecerunt, & juraverunt fidelitatem D. Guisiroto potestati Alexandriae ibi præsentis nomine communis Alexandriae recipienti præcepto D. Delphini marchionis Domini eorum, & D. Joannæ uxori ejus salva ratione dotis suæ, sicut continetur in instrumento dotali, hoc modo scilicet, quod erunt fideles potestati, & consulibus, qui pro tempore fuerint, & communi Alexandriae, & adjuvabunt, & manutenebunt, & salvabunt personas potestatis, & consulum, & commune Alexandriae ab omni homine, & non erunt in consilio, vel facto, quod potestas Alexandriae, vel consul prodat vitam, sensum, vel membrum, vel